UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Athanasii Kircheri Soc. Iesv Diatribe. De prodigiosis Crucibus

Kircher, Athanasius

Romae, 1661

Capvt I. De varijs prodigiorum classibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11300

Visual Library

# PARS PRIMA HISTORICA

## CAPVT I.

### *De varijs prodigiorum classibus.*

NVLLVM arbitror in hac Mundi machina Diuinorum operum esse, quod tanta admiratione mortaliũ pectora rapiat, tanta subinde formidine percellat, ac nonnulla, quæ vti in inaccessis diuinæ Sapientiæ claustris reconduntur, ita nullum quoque quantumuis purgatissimis mentibus ad eas non dicam penetrandas, sed ne ad concipiendas quidem aditum patefaciunt, ac potissimum in triplici generum differentia versantur.

Prioris generis sunt illa miracula, quæ Omnipotentis DEI dextra, vel per se immediatè, vel mediantibus hominibus sanctitate conspicuis, vel Angelis ineffabili quodam modo operatur. Triplex miraculorum genus.

Secundi generis sunt, quæ subindè vel Angelorum dœmonumue opeu, DEO, vel ad gloriam suam manifestandam, vel ad delicta mortalium vindicanda, permittente, contingunt; & quamuis hæc naturalium causarum catenis multiplici nexu implicentur, fieri tamen non potest, vt ea ob humani ratiocinij imbecillitatem, dum obscuris tantùm similitudinum vmbris, & sub notione confusa concipiuntur, perfectè quoad modum explicentur; Quemadmodum enim infusa naturalium rerum scientia dotati sunt, ita occultos Naturę consensus dissensusque tam aptè & concinnè applicare norunt, vt in insolitis & prodigiosis effectibus producendis nihil ijs denegatum videatur. Huiusmodi sunt, repentina elementarium corporum concitatio, ventorum impetus, quo vastas turrium ædificiorumque moles passim stratas, syluas euersas & ciuitates, mare disiectis littoribns in campos transfusum, multa vnà cum incolis domorum millia diruta & spiritu procellarum abrepta legimus; Huc quoque reuocatur animalium lo-

cutio

cutio, vti de Asina Balaam Sacra refert Historia; & Plinius ait, anno Vrbis 676 Gallum gallinaceum, Bouem quoque locutum in Suburbijs Romæ paulò ante Iulij Cæsaris mortem, frustra se vrgeri dicentem, quod non frumenta sed homines propemodum essent defuturi, anno Vrbis 710. Huc spectant varia ex aeris elemento assumptorum corporum schemata, sudores imaginum, voces syluarum, lapidum, ceu ex luco vel æthere ferientes, quorum exempla vbique sunt obuia.

Tertij generis sunt, quæ puro quidem naturæ subduntur imperio, attamen tantò à perfecta hominum intelligentia semotiora, quantò ob varium causarum confluxum sunt occultiora; adeoque non immeritò in omnibus rebus τὸ θεῖον siue Diuinum aliquid inesse sapientissimus cẽsuerit Hippocrates, quę adeò latè patent; quam latè patet multiplex rerum, specierum, indiuiduorumque constitutio. Etenim diuinorum omniũ, quę aliquam suæ occultioris indolis notam exprimunt, alia quidem ab Orbe condito illicò immutabili lege, ipsisque

inarata seminibus adhærescunt, quæ quamuis in naturæ fœcundissimo sinu rerumque sensibilium classe contineantur, virium tamen suarum actionumq; occultas promunt & abditas causas, ijs solummodò notas, quos Pater luminum hoc inestimabili intellectus munere beauerit; & sunt, quæ Philosophus θάυματα τῆς φύσεος, Latini Naturæ dicunt miracula, eaque potissimum sunt, quæ de lite & amicitia, siue de Sympathia & Antipathia rerum in controuersiam cadunt. Supra hanc aliud genus quod propriè τὸ θεῖον Diuinum nominamus, non à primis Mundi natalibus rebus insitum, non perpetuum & constanti perenniq; naturæ propagine vbique extensum, sed tamen ad hominis bonum noua prorsus insolitaque ratione certis locis, temporibus, aut etiam simulacris sensibilibus illigatur, & omne id continet, quod in homine Microcosmo, vel Mundi totius ambitu circumfuso ab illa communi naturæ specie atque vsitata lege exorbitat, & admiratione sui mortalium sensus animosque exagitat; quæ Græci τεράτων, Latini, monstrorum, ostentorum, prodigio-

Miracula naturæ quæ?

Monstra, & prodigia.

digiorum, portentorumue nomine amplexi sunt, nos etiam θείας ὀπτάσεις, Diuina vocitamus spectacula, quod nullum eiusmodi sit, quin præsentis Numinis aut Diuinitatis alicuius luculentum indicium præseferat; & sunt in Cęlo quidem nouorum syderum geneses, Cometarum sub multiplici differentia apparitiones; in aëreo elemento ventorum, turbinumque insolita sæuities, prodigiosæ sanguinis, frumenti, lapidũ, animaliumque pluuiæ; In aquis insolita lacuum intumescentia, portentosa diluuia, repentinæ Maris fluminumque inundationes, quas ruptis aggeribus magna cum hominum, animalium, agrorumque ruina, nil præter turrium apices adhuc extantes ceu funesti spectaculi indices nonnullis in locis reliquisse legimus. In Terra, prodigiosæ & repentinę fontium scaturigines, aut desitiones, montium absorptio, nouorumque generatio; formidanda maris, terrarum, Vvlcanorumque incendia. In minori Mundo, morborum inauditorum, monstrorumq; progenies. In politico Mundo, perturbationes horrendæ, inuisæ

Variæ prodigiorũ classes

rerum humanarum cataſtrophæ, quibus, vti omnium Hiſtoricorum monumenta referta ſunt, ita ijs diutius immorari nolumus.

Et vt ad propoſitum nobis argumentum propius accedamus, ex recenſita oſtentorum ſerie non infimum locum obtinuiſſe exiſtimamus id, quod magna omnium formidine Neapoli non ita pridem comparuit: prodigioſa videlicet & repentina Crucum in lineis hominum veſtimentis, pantamorphę naturæ penicillo pictarum exhibitio, cuius cauſam & rationes antequam explicemus, nè quis forſan oſtentum hoc omnibus ſæculis inuiſum inauditumque exiſtimare poſsit, primò hiſtoricam hoc loco attexemus narrationem, qua nullo non tempore huius generis portenta diuerſis in locis & regionibus obſeruata fuiſſe DEO fauente oſtendemus, vt ex ijs quænam miraculo, quæ naturæ vi ortæ ſint, pateſiat.